



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1644. usque ad annum 1651

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119177

§. 91. Cæsaris Montii Cardinalis extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67359)

Sæc. XVII.
A. C. 1650.

§. XC.

Marii Theodoli Cardinalis obitus.

*Ciacon. in
vita Ur-
ban. VIII.
Guald.
Prior. in hist.
herd.*

Hunc eadem mortis necessitate paulo post sequebatur Marius Theodolus Nobilis Romanus, qui confecto feliciter studiorum curriculo Doctoris honores emeritus, Romæ Abbreviator Apostolicus, Camerae Clericus, & Auditor renunciabatur: demum annonæ Præfecturam adeptus, cuncta, quibus onerabatur, munia tam singulari integritatis, iustitiæ, & dexteritatis encomio obibat, ut a summo Pontifice in Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, & a Franciæ Rege in Gallici Regni Protectorem seligeretur; demum Immolesni Episcopatu honoratus, hanc Ecclesiam post unius anni spatium mortis invidia dimittere cogebatur; anno enim quadragesimo nondum expleto die vigesima septima Junii decessit, in tituli sui Ecclesia ad S. Alexium sepultus.

§. XCI.

Cæsaris Montii Cardinalis extrema.

*Maracc. in
Purp Mar.
Vitaleon. de
domo Lau-
ret.*

Ex Purpuratis hoc anno denatis tertius erat Cæsar Montius patria Mediolanensis, qui nequaquam Patronorum favore, sed proprii meriti suffragio

gio ad Protonotarii Apostolici, Rese-
 rendarii, & Prælati honores ascende-
 rat, ac paulopost sermonis sui affabili-
 tate, vultus serenitate, æquitatis stu-
 dio, laborisque assiduitate cunctis ac-
 ceptissimus, ad ampliora dignitatum
 munia trahebatur. Demum variis Con-
 gregationibus præfectus, ac S. Officii
 Assessor, necnon Hierosolymitanus Pa-
 triarcha, & Hispaniæ Legatus ac Car-
 dinalis ab Urbano VIII. Papa renun-
 tiatus, mortuo Friderico Borromæo
 ad Mediolanensem Archiepiscopatum
 suffectus est, quam Ecclesiam verus
 Pastor, pauperumque Pater nunquam
 deseruit, sed gregem suum rara vigi-
 lantia, pietatis exemplo, & uberrimo
 Sacræ doctrinæ pabulo refecit usque
 ad extremum vitæ suæ diem, qui erat
 decimus sextus Mensis Augusti, post-
 quam quinquaginta septem peregrina-
 tionis suæ annos numeraverat. Emi-
 nuit in eo pietas erga B. Virginem, cu-
 jus Sacras ædes non modo Matriti &
 Toleti, sed etiam Laureti ac in Monte
 Serrato sæpissime ac religiosissime in-
 viferat, simulque Ecclesiam Cæno-
 biumque Patrum Carmelitarum Discal-
 ceatorum sub titulo B. Virginis Montis
 Oliveti de Concessa in Mediolanensi di-
 tione suis sumptibus extruxit.

Sæc. XVII.
 A. C. 1650.